



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XVII. De Dionysio Areopagita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XVII

D E

*Dionysio Areopagita.*

**R**Estè censuit Philosophus simul ac Historicus multijuga eruditione spectatissimus Plutarchus, dum in *Pericle* scribit. *Difficilis investigatu est historia vera; cum posterioribus præteritum tempus cognitionem rerum præcipiat: qui verò æquales sunt ejus, cujus vitam aut acta describunt, ut partim invidia odioque, partim gratificandi studio & adulatione corrupti veritatem officiant.* utrumque in historia Sancti Dionysii comperitur. Plurimis siquidem sæculis traditum creditumque fuit, quod Dionysius Areopagita, cujus *Act. cap. 17.* fit mentio, à Clemente Pont. Rom. unà cum Rustico & Eleutherio fuerit in Galliam missus, quodque sedem Episcopalem Parisiis fixerit; ac demum ibidem capitis abscissione Martyrium subierit: cujus sacræ exuviæ postmodum in Ecclesia ad latus urbis à Catulli uxore depositæ, ubi nunc civitas, Dionysiopolis nuncupata, ab eodem Sancto, ibi sepulto. Non fuit tamen inoblita licet opinio, & quantumcunque verusta traditio semper & universaliter sic ab omnibus recepta, quin contradictionem passa fuerit. Quanquam enim extra ambiguum collocandum, Quod S. Dionysius Gallis E-

vangelium prædicaverit; idemque Parisiensium Antistes ob fidei dilationem Martyrium occubuerit: multi tamen dubitant, scriptumque injiciunt, an sit ille ipse, qui Areopagita dicitur, cum Damare muliere, ut vulgata habent, conjugæ suæ, sicut Ambrosius *Lib. 10. Epist. 82.* censet, & Chrysostr. *Lib. 4. de Sacerd.* innuit, credens baptizatus, postea Atheniensium à Paulo constitutus fuit Episcopus. Etenim Innocentius III. P. M. in Epistola, quam an. 18vo sui Pontificatus ad Abbatem & Monasterium S. Dionysii in Gallia exaravit, perhibet, quosdam extate qui fateantur S. Dionysium Areopagitam Athenis diem extremum obiisse, ibidemque religiosè terræ mandatum fuisse, proindeque alium fuisse ab hoc distinctum, qui post aliquod temporis intervallum, discussis horrendæ idololatriæ tenebris, lumen Evangelicæ fidei, veramque Christi religionem Francorum populis attulerit. Cùmque idem prædulentissimus Pontifex, perpenis utique rationum momenti, declarat in calce eisdem epistolæ, se neutri velle præjudicare sententiæ, suum vel arbitrium, vel definitivum interponendo judicium; mansit cuique integrum hac in re sentire, quod visum fue-

rit. Atque hinc posterioribus sæculis, præ-  
sertim ævo nostro, viri perspicacissimi, qui-  
bus, observante Pythagora, non semper tu-  
tum videtur tritas incedere vias, aut semitas  
plurium, reperiuntur, qui hanc historiam,  
esto antiquissimam, negant veris apponen-  
dam. Dum autem ab his graviorum argu-  
mentorum pondere vehementissimè quati-  
tur, eademque decantata traditio validissi-  
mum in vetustatis ruderibus obtinet præsi-  
dium, ingravescit prælium, & magnis ani-  
morum contentionibus agmina collidun-  
tur.

-----  
Diuque

*Inter utrosque volat dubiis victoria pen-  
nis. Metam. 8.*

In propugnantium acie stant Jodocus Cli-  
ctovæus, Doctor Parisiensis, Cardinalis Ba-  
ronius, hujusque continuator Spondanus,  
Genebrardus, Antonius Possévinus, & San-  
ctus pro Patria, Germanus Miletus & Hugo  
Menardus Monachi S. Dionysiani pro do-  
mo sua. Adstipulantur Petrus Halloix, Soc.  
Jesu, item Petrus Lanselius, qui ex infinitis  
miraculis id posse demonstrari credidit, Be-  
nazie Canonicus Agensis, Ludovicus Le  
Guille S. J. in *Hist. Provin. Alsat.* Gallicè  
Argentorati an. 1727. Michael Febrin. Ord.  
S. Bened. Congr. S. Mauri, validissimè Chi-  
stertius; quos cum Dadin Altriferra demum  
sequitur Nat. Alexander, *dissert. 15. proposi-  
t. 2.* hanc historiam probabilem judicans, &  
opinionem contrariam nequaquam vult cer-  
tam.

Quam verò citati Authores fidem de Dio-  
nylii Areopagitæ in Gallias legatione exigunt,  
his argumentis adstruunt.

I. Vitæ historia de Dionysio Areop. sin-  
cerissima refert sub Fescennio Domitiani  
præfecto in Gallia, Parisiis hunc Martyrium  
subiisse: cui, si quis fidem detrahat, nescio,

scribit Clictovæus, Flander, Theol. Doct.  
in *Elucidat. Ecclesiast.* qua via contra eum in  
hac materia (quæ jam olim transacti tempo-  
ris factum disquirit) sit agendum: & relin-  
quendum illum potius esse censerem, ut pa-  
rum in Sanctos pium ac religiosum, quorum  
receptissimas negat historias, quàm diutiùs  
cum illo disputandum. Hæc acta in quo-  
dam libro, vetustate pœne consumpto, reper-  
ta sunt, sicut Hilduinus Abbas Ecclesiarum  
Magister dictus à Lupo Ferrarienti. *Epist. 110.*  
in rescripto ad Ludovicum Pium memorat, &  
cum traditione optimè consentientia blattis  
feliciter erepta lucem veritati omninò mag-  
nam affuderunt. Neque ullo modo præsu-  
mendum est, hujusmodi ab Hilduino, viro  
religiosissimo, sanctissimo ac beatissimo, ut  
iplum vocat Agobardus Episc. Lugdun. sa-  
cri Pallatii Archi-Capellano, ut eum vocat  
Trithemius *Lib. de Script. Eccles.* confecta  
seu confecta fuisse; eumque Imperatori &  
posteris turpiter imponere voluisse: sed be-  
ne discussa, atque examinata fuisse pro au-  
thenticis recognita. Quandoquidem idem  
Ludovicus Pius in Epistola ad ipsum Abba-  
tem Hilduinum profiteatur, quod tomi &  
chartæ vetustissimæ armarii Parisiæ Eccle-  
siæ tunc inventæ obtutibus suæ Serenitatis sint  
ostensæ. Præterea Hincmarus Archi-Epis-  
copus Rheimensis, vir in rebus Curia, mun-  
di, scholæ, & Ecclesiæ versatissimus in Epi-  
stola ad Carolum Imp. testatur se in juventu-  
te sua à Wandelmaro Abbate obtinuisse  
quaterniunculos valde attritos, & quæ in eis  
scripta fuerant pœne deleta; eaque se de-  
scripsisse de Dionysio in Gallias à Clem ente  
cum aliis misso. Quæ utique fuerunt acta  
à Visbio, qui *Libellus, inquit Papyr. Masson,*  
*propter variam eruditionem potest cuivis do-  
cto placere,* aut saltem alio quodam cœvo,  
consignata. In his ergo antiquorum certis  
argumentis jacta sunt traditionis fundamen-  
ta, quæ ante omnem memoriam acceptata,  
& nunquam hæcenus intercisâ, in quamplu-  
rimis

T

rimis

rimis regionibus stabilita, & ad nostram pergens aetatem, quamquam fidei necessitatem non importet, tamen sic roborata temeritatis notam inferiis, qui gravioribus destituti in contrarium rationibus eandem oppugnare praesumunt. Adedque suis vapulavit meritis Petrus Abailardus excussus Monachus Dionysianus, qui primus negare ausus fuit non fuisse Dionysium Areopagitam, qui Parisiis ob fidem Christi capite truncatus fuit. Verum eundem validè retudit S. Bernardus Abbas Clarevallensis, hominemque defultorium convicit, quod pro luce tenebras offunderet, id quod reliqui faciunt, qui hunc sequuntur. Hos recens, sed consummatae eruditionis Scriptor Gallus, *rom. 2. Concil. in Con. Gal.* ne quidem audientes censet, quia contra traditionem omnium saeculorum, & contra torrentem moliantur, templumque Dei fumo obnubilare conantur.

II. Variarum nationum Historiographi fidelissimi atque probatissimi, Graeci aequè ac Latini Dionysium Areopagitam Gallos vera fide imbuissè suo consignant testimonio: aded ut is animum habeat praeruditionis occupatum, excoecatum aut cecurum, qui viris gravissimis, fideque dignissimis credere detrectet; quod de hoc Dionysio uniformiter asseverant. Hos inter Eusebius Caesareensis, Aristarchus, Graecorum Chronographi celeberrimi, ad quos curiosius indagantem remittit Hilduinus *Epist. ad cunct. Eccles. Cath. filios.* Item Flavius Dexter, saeculo V. in *Chron.* ubi legitur *Anno Christi C X. Sanctus Dionysius Areopagita Hispanias invisit, ut Legatus à B. Clemente totius Occidentis ordinatus.* Venantius Fortunatus, Pictaviensis Episcopus, qui, teste Trithemio *loc. cit.* non minus sanctitate conversationis, quam scientiâ eruditionis clarus effulsit. Saeculo VI. in hymno de S. Dionysio sic canit. *Clemente Roma Praefule ab urbe missus adfuit: verbis superni seminis, ut fructus esset Gallia, Me-*

thodius, Patriarcha Constantinopolitanus, sub annum 880. hæc de Dionysio perhibet. *Dum Beatus hic quoque Dionysius Crucis a ratro mare diffundens Athenis Romanam caelesti divinaque voluntate à Deo dilectus per viam deductus venit. Ingressus, cum B. Clementem convenisset; qui, ut supra dictum est, Apostolica Sedis potestatem habebat, ab eo can digno honore, statim, ut vires suppeditabat, receptus est.* Et quibusdam interpretis itinere & focis ejus sic prosequitur. *Ipse vero Dionysius Parisiis mansit.* Michael Syccellus, Presbyter Hierosolymitanus, vir gravis & à suis in veneratione habitus in elegantissimo illo encomio Sancti Dionysii Areopagita, verbis suis auctoritatem ab antiqua traditione & veterum inconcussis monumentis ita conciliat. *Quaecunque è non scriptis vel scriptis monumentis colligimus; hæc eadem iextis laudibus proferimus. Quia vero Beata Parisina civitas, quæ amplitudine territorii Gallia civitates est minor: dum vocate à Doctorum præstantissime! thesaurum preciosissimum divinis pretiosiorum scriptis acceptis patronumque & excubitorum vigilantissimè acquisivit, splendidiore orbis existimata. Adcedit Simeon Metaphrastes, sic dictum quod plurima scripserit, ob generis claritatem, ut Pselus in ejus encomio testatur opes, dignitatem, doctrinam, facundiam prudentiam magno in pretio habitus. cuius mediæ Saeculi IX. non Saeculo 13. vel 14. ut Oudinus voluit. Hic de Dionysio Areopagita hoc intigne testimonium reliquit.*

*Cum multiplicare vellet talentum & sequi magistri sui vestigia, relictis Athenis, & terram & mari multa gravia perpassus, nec tam ab eis retardatus, sed supernarum rerum contemplationibus inferioribus omnibus posthabitis, ad regionem urbem Romanam pervenit, & ad Clementem accedit... & quidem cum pervenisset ad hanc urbem Parisinam; eamque infidelitate plenam reperisset. &c.* Demetrius Auctus

Author ille Sancti Dionysii Martyrium, capitis diminutione confectum, eleganter describit. Quia verò in ore duorum vel trium stat omne verbum, sanctionibus divini & humani juris; tres producti sanctimoniam & litteratam splendore celebres, omni exceptione majores, sufficere poterunt ad verificationem antiquissimam historiam: eò vel maxime, quod hi, neque eorum prædecessores, induci minime potuissent, ut tanti viri triumphum suo gentili loco abjudicassent, & cum proprii honoris dispendio, alieno suum dedissent; nisi veritatis amore adacti: utque ea, quæ in Græcorum menais legissent, de Dionysii Areopagitæ Martyrio, Parisiis consummato, tanquam certissima credidissent. Eruditissimus Mabillonius antiquissimum producit Concilium Parisiense, in causa cultus imaginum celebratum an. 824. in quo Patres expressè pronuntiârunt adventum Dionysii Areopagitæ in Galliam, eamque traditionem esse, *qua ab antiquis Patribus usque ad nos inflexibiliter ducta est.*

Succenturiantur alii Scriptores Latini doctrinâ, dignitate, vitæque sanctimoniam spectabiles, qui traditionem illam, velut certam & communiter receptam, literis consignârunt. Hilduinus Abbas in *Areopagitis*, quæ Galenus Doct. Lovaniensis, primo publicavit, fatetur, ut supra relatam fuit, se hanc historiam de Dionysio ex antiquissimis quorundam Scriptorum monumentis, atque ex Majorum suorum continuatis traditionibus accepisse: quodque Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus per Legatos suos sollicitè inquisierit; & ita se rem habere certus, tandem Atheniensium civitatem pallio Archi-Episcopali redonaverit. Joannes Eri gena, dictus Scottus, magni vir nominis, qui jubente Carolo, filio Ludovici, transtulit in Latinum Hierarchiam, aliosque libros Dionysii, & quos commentariis illustravit, in Epistola ad eundem Carolum meminit, quod vita Dionysii Areopagitæ à fidelibus

viris tradita habeat, quemadmodum prædicationis gratiâ à Clemente in Gallias sit directus, & cum beatissimis consortibus glorioso Martyrio fuerit coronatus. Hugo Flaviacensis Abbas, in Chronico Verdunensi, eandem historiam prolixè exhibet; referunt deinde Vincentius Belluacensis, S. Antoninus, Petrus Equilinus. Quin & moderni Græci, post Nicephorum Calixtum, plerique omnes veniunt pedibus in hanc sententiam; magnumque Dionysium nostrum appellant & sentiunt. Ita ferè Milletus *Lib. 2. cap. 6.* ubi etiam narrat, quod anno Christi 1611. Archi-Episcopi Beronensis, Rhodiensis & Lacædemoniensis ad sacratissima Divi Dionysii Lipsana venerint Dionysiopolim, veritatem, non sine magno sensu pietatis, profitentes; quarum Lacædemoniensis, Regio Palæologorum sanguine prognatus, solemne Sacrum in martyrum Altare, aperto coram reliquiis Divi Dionysii capite, quodque suis lachrymis irrigasse visus est, Græcorum in morem celebraverit.

III. Authentiam traditionis corroborat autoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ tanta provisione, tantâque industriâ cavet, ne apocrypha legerentur in Breviariis, & parum explorata Sanctorum Apostolorum, aliorumve Divorum gesta intexerentur. Quapropter de SS. Mathia, Simone, Juda, Thoma, Georgio Martyre, Petronilla &c. aut pauca aut nulla acta recensentur, quæ indubitata non videbantur. Ast de Dionysio, omnia pro certis, & nihil dubiè memorat; atque Atheniensem, & Pauli discipulum à Clemente in Gallias destinatum, & Parisiensem Episcopum gladio occubuisse exponit. Quod, sicut Sacrificiorum ritibus interferendum judicavit; dum die nona Octobris, Festo Dionysii Parisiensis, Lectionem, ex actibus Apostolorum de conversione Atheniensis Philosophi desumptam, usurpat; ita in Breviario, 2<sup>do</sup> nocturno totam historiam missionis, & martyrii, Parisiis consummati,

recitandam exhibet. Profectò Romani Martyrologii tanta est autoritas, ut à Gregorio XIII. Pontifice Maximo, non solum laudaretur & proponeretur: sed & omnibus aliis quibuscunque antepositum, publicè legi sine ulla immutatione, cæteris Martyrologiis, quoad usum, abrogatis, præcipiatur; utpote per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continentur, adhibitis etiam codicibus vetustissimis, atque emendatioribus, correctum; jussu Clementis VIII. P. M. studiosè recognitum; ac mandato Urbani VIII. à mendis diligenter expurgatum fuit. Eapropter, si quid uspiam mendosum, in ea materia, quam tractat, irrepsisse compertum fuisset; haud dubium, quin excussum rejectumque fuerit. In eo autem sic expolito Martyrologio nono Octobris ita legitur. *Lutetia Parisiorum Natalis Sanctorum Martyrum Dionysii Areopagita, Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi. Ex quibus Dionysius ab Apostolo Paulo baptizatus, primus Atheniensium Episcopus est ordinatus: deinde Romam veniens à Beato Clemente Romano Pontifice in Galliam prædicandi gratià directus est: & ad præfatam urbem deveniens, cum ibi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tandem à Præfeto Fescennio, post gravissima tormentorum genera, unà cum sociis gladio animadversus, Martyrium complevit. Quo testimonio nihil luculentius, nihil efficacius adferri poterit, quod in mente, utcunque religiosa, nullum de veritate dubitandi, aut de contrario suspicandi, locum relinquit. Et sanè, inquit citatus Clichtovæus, satis est hac in re cum tota sentire Ecclesia, illiusque sequi gravissimam sententiam, publico omnium consensu, & antiquo probatam usu, quam nonnullos, eisdemque paucos, novitatum studiosos, paradoxorumque sectatores, quorum studium in hoc potissimum versatur: ut, quæ ab omnibus recepta sunt, &*

approbata, evertant, & refigant, ut etiam novas inducant opiniones & sectas exsuscitent: ut denique quippiam adferant in contentionem: quod ab omnium diffidet sententia, usuque communi; contententes ea ratione singulari doctrina præditi videri & plus omnibus sapere, si contra, quæ cæteri omnes sentiant: si improbant, quæ à cæteris probantur omnibus. Verùm, qui secundum Apostoli monitum, sapere volunt ad sobrietatem, non debent facillè aures patefacere novis istis placitis & assertionibus. Ita ille. Huic ergo authoritati, tantæque testium nobi refragari, est veritati bellum indicere, ac venerandæ antiquitati canos evellere: ut proinde liceat cum Romani eloquit Principi *Lib. 1. de Divinat.* indagare. *Quis est, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas? Nemini profectò, qui ratione judicioque pollet, vel minimus laboriri poterit de Dionysii Areopagita in Gallias Legatione scrupulus aut dubium: quandoquidem & insignis testimonii numerus, & irrefragabilis authoritas dignitasque, & consentiens undique fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. Quære ut Hincmarus in citata Epistola scribit, nihil superesse videtur, quam ut si qui sunt, qui negabunt Dominum & Patrem nostrum, Patronum Dionysium Areopagitam à Beato Apostolo Paulo baptizatum, & Atheniensium orinatum Episcopum, & in Gallias à Beato Clemente directum, ex his, quæ Græca testimonio, & Sanctæ Sedis Romanæ attestatio, & Gallicana intima contestatio, & in hac causa quod longe ante nos dictum est, recognoscant. Quia veritas sæpè exagitata magis splendescit in Lucem &c.*

Atqui veritas, quæ, ut Seneca ait, nunquam latet quæsitæ, sæpè multumque agitata & in hac traditione studiosè pervestigata, cum in Lucem hucusque non splenduerit: sed in opaco remanserit, ab exactioribus criticis non creditur inesse. Inter hos nume-

rantur Jacobus Sironidus, Gallus, è Societate Jesu, consummatae aetatis ac eruditionis, Baronio amicissimus. Robertus Cardinalis Bellarminus constituens Dionysium primum Evangelii praecone Martialis Socium, qui sub Decio Imperatore medio saeculo III. in Gallias venerit, admittensque ex Severo Sulpitio, temporibus Antonini Imperatoris, primos in Gallia Martyres, Le Fevre Praeceptor Ludovici XIII. Joannes de Launoy Doctor Parisiensis facultatis Theologicae, & Hypercriticus nominatissimus. Dionysius Petavius, Gallus, è Societate Jesu; qui ab omnibus eruditus ob raram in Chronologicis & historicis scientiam in summa aestimatione habetur. Morinus, Oratorii Ordinis Presbyter, Scriptor percelebris, Franciscus Bosquetius, Episcopus Montispeulani, variis lucubrationibus de Republica Litteraria benemeritus. Henticus Valelius, Historicus Regius in antiquitate Ecclesiastica versatissimus, ut ejus notae in Eusebium, aliaque edita opera perhibent. Adr. Baillet Hagiographus profundae & vastae lectionis. Ant. Pagijs Criticus solertissimus. Philippus Brietius è Societate Jesu Historicus aevi nostri spectatissimus. Elias Du Pin Doctor Parisiensis ob Bibliothecam novam, quam publici juris fecit, orbi notissimus, & alii quamplurimi, potissimum Galli Scriptores, qui saeculo ultimo, aut ex instituto, aut incidenter de Dionysio Areopagita tractarunt, cum citatis sentiunt; estque nunc in Sorbona Parisiensi & Gallia universa sententia communis, teste Schellstrate *antiq. Illust. p. 2. dist. 3. cap. 3. art. 3.* qui etiam huc inclinatur; licet suum se iudicium suspendere profiteatur. Serviunt verò pro hac sententia argumenta bene perpendenda.

I. Antiquissimus in Gallia Historicus Severus Sulpitius (hunc Sironidus vocat testem gravem, rerum nostrarum auctorem peritissimum) Presbyter Agentis, non, ut Nat. Alexander putavit Episcopus Bituricensis, an-

te an. 1300. Libros duos de Sacra Historia composuit, ubi in praefatione fatetur studium suum hisce verbis. *Non peperci labori in eo, quin ea, quae permultis voluminibus scripta continebantur, duobus libellis concluderem: ita brevitati studens, ut paene nihil gestis subtraxerim.* Hic ergo vir industrius, & in gestis aliquando nimis credulus, de Dionysii Areop. in Gallia praedicatione nihil refert. Argumento, quod illius acta, in permultis voluminibus non repererit: nec de missione audierit, cujus alias

*Fama per immensas aëre lapsa vias.*

Hominem Gallum profecto afflare debuisset, ejusque Martyrium ex anniversaria celebritate, aliisque monumentis ante oculos versantibus, facile potuisset cognoscere. Tantum verò abest, quod crediderit Dionysium Areop. in Gallias praedicasse, ut testatum reliquerit Evangelii praedicationem in eam regionem tardius penetrasse, & Martyres inibi primò sub M. Aurelii imperio An. 17<sup>mo</sup>. Id est, Aerae vulgaris 179. Viennae & Lugduni extitisse. Sic scribens. *Tunc primum in Gallias Martyria visa sunt: serius trans alpes Christi religione suscepta.* Qui locus à Joanne Launoy speciali dissertatione defenditur in opusculo 1651. Parisiis impresso. Ergo Martyrium non subiit Dionysius in Gallia sive sub Domitiano, sive sub Adriano. Tam gloriosum ac prodigijs illustratum certamen non praetermisisset narrare Sulpitius, nisi dicitur illud ipsum latuisse, quod quaquaversum percrebuisse refertur. Cum igitur sub M. Aurelio sit persecutio orta, quam Sulpitius vocat 5<sup>am</sup> nequit esse, quod de praedicatione celebratissimi Dionysii Areopagita & Martyrio in Gallia dicitur.

Accedit Gregorius Episcopus Turonensis, vetustus pariter & communiter receptus Historiographus à Sirmondo habitus fidelis, qui *Lib. 1. hist. Gall. cap. 30.* prodit, quod primo

mo Anno Decii Imperatoris. Hoc est, Salutis nostræ 250. Dionysius Parisios advenerit. Quod ipsum corroborat autoritate vitæ Sancti Saturnini, antiquitus scriptæ; ac ita prosequitur. *Hujus tempore (Decii Imperatoris) Septem viri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi sunt; sicut Historia Passionis Sancti Martyris Saturnini denarrat. At, enim sub Decio & Grato Cons., sicut fidei recordatione tenetur, primum ac summum Tolosana civitas Sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt. Turonicis Gratianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbona Paulus Episcopus, Tolosa Saturninus Episcopus, PARISIENSIBUS DIONYSIUS EPISCOPUS, Lemovicis Martialis est destinatus Episcopus, Avernis Siremonius Episcopus. Quod si tunc Parisiensibus missus sit Episcopus, utique primus, is, qui ab Apostolo Paulo fuerat conversus, & Athenarum constitutus Episcopus, Dionysius Areopagita; ante hunc Episcopum Parisiensis Præsul non fuit. Nec quilibet facile sibi in animum inducet, Gregorium, in antiquitate Ecclesiastica, Episcoporumque in Ecclesia Galliana successione hospitem usque adeo fuisse; ut, quod omnibus ferè tunc constabat, ipsum lateret, quis Patrisinæ fuerit Fundator Ecclesiæ, quantus fuisset vir ille, qui illuc Evangelii lucem invehit, & ob miraculorum virtutumque famam super astra notus non exteris tantum plebeis; sed, si Methodio habenda fides, ipsi Imperatori notus.*

Respondent Menard. *loc. cit. cap. 1. Millet, Alexander dissert. 15. con. 2. ad 1. object. 8cc. &c.* quod Severus Sulpitius parum accuratè, imo alicubi falsè scripserit: proinde illius autoritatem, præsertim hic, non esse magni faciendam. Quandoquidem Clemens Papa in *Epist. ad Jacobum Apostolum*, primum Hierosolymitanum Episcopum memoret, Sanctum Petrum iussisse, ut in omnes

mundi partes mitterentur Episcopi. Vigore cujus mandati, scribit, se velle mittere quosdam in Gallias. Quod executioni mandatum perhibet Ivo Carnotensis in *Chron. MS.* quod extat in Bibliotheca Regis Angliæ. Eandem expeditionem legit Hugo à S. Vict. in quodam Libro M. S. Bibliothecæ Lichtfeldensis. Præterea nulla adferri potest ratio, cur in Gallias tardiùs, quam alias Regiones, quarum pleraque magis distant sunt, Evangelium sit illatum. Certè acta antiquissima, quibus immeritò fidem denegandam asserunt adversarii, Sancti Saturnini, apud Laurentium Surium, ad diem 29. Novembris, contrarium perhibent, in quibus legere est. *Sensim & gradatim in omnem terram sonus Evangelii exiit. Parisique processu in regionibus nostris Apostolorum prædicatio cornuscavit.* Proinde Ludovicus Guille Soc. Jesu. *loc. cit.* Sulpitii autoritatem pro nihilo vult habendam: cujus non iniqua censura, quando in *quarto tomulo Breviarii P. P. R. R.* Dissertatione præfixa Fran. Pagius ex Irenæi luculentissimo & vetustiore testimonio Evangelium multò ante Gallis & Germanis innotuisse docet. Negant tamen Antihilduinistæ, quod fides primo sæculo in Gallia fuerit stabilita aut Episcopales Ecclesiæ fundatæ: etsi concedant Evangelium prædicatum, ut, sæculo VI. mediante, septem scribunt Episcopi Galli ad Radegondam à paucis receptum.

Alii majore veneratione in Severum Sulpitium feruntur; eumque in sensu magis commodo intelligendum volunt. Nimirum tunc Martyria in Galliis prima accidisse, Imperatoris jussu, publicè: eoque nomine prima; quia præcipua, foro, theatris, arenis, frequentiora & illustriora: non autem absolute prima, si de quavis hominis interfectione & Martyrio sensus sit. Quod autem Sulpitius subjungit, religionem Christianam in Galliis acceptatam seriùs; id extra controversiam est, si de universo regno amplissimè non



non autem de plerisque istis locis intelligatur. Constat siquidem ex libello ab Episcopis Viennensis Provinciae, Leoni Pontifici anno 450. oblato, æquè ac communi traditione, Trophimum, Beati Pauli Apostoli discipulum, cujus meminit 2. *Timoth.* 4. à Petro Apostolorum Principe in Gallias missum, quam traditionem Zosimus Papa contestatus fuit in Epistolis ad Episcopos Viennensem, & Narbonensem: quam etiam Martyrologium Romanum confirmat, atque ex modernis propugnat Petrus de Marca, defendunt Pagius, Natalis Alexander, aliique viri plures eruditione intignes. Arelatenis Ecclesiae fuisse primum Præsulem sanctum Trophimum, illius dypticha evincunt: sic, ut subsequenter retro sæculis Episcoporum series ab eodem fuerit sine contestatione, aut obloquio alicujus constanter deducta. Narbonensi Ecclesiae Sergium Paulum Proconsulem ab ipso Paulo in Hispanias proficiscentem fuisse Præsulem docemur ex Martyrologio eodem, 22.º Martii. Lazarum quoque, in exilium cum sororibus missum, Massiliensium existisse Episcopum, hujusque socium, Aquileensibus præpositum ex ularum Ecclesiarum tablinis in comperto est. Demum Martialem, unum ex 72. discipulis, à sancto Petro in Lemovicensium Episcopum ordinatum, perhibent acta illius vetustissima, non minus quam Epistolæ ab ipso conscriptæ; quod pariter extat in Martyrologio Romano die trigesima Junii. Ex eodem habemus die 1. Septembris Sixtum, Petri discipulum, ab hoc Rhemorum Antistitem esse creatum, ac demum Martyrii lauream illic loci coronatum. Quod Crescens etiam, unus 72. discipulorum, sub Nerone in Gallias missus sit, & ibidem occubuerit, meminit Eusebius *Lib. 3. hist. cap. 4.* his verbis. *Crescens quidem ab eo missus in Gallias, quod ipsius Pauli testimonio declaratur.* Ubi insinuat 2. *Timoth. 4.* suffragante Epiphonio *heres. 51.* ita scribente: *Crescens in Gallia.* Non enim in *Galatia* le-

gendum est; ut quibusdam immeritò placuit: sed in *Gallia.* Testatur etiam Sophronius, quod Crescens in *Gallia* prædicaverit, & ibidem ultimum diem obierit. Martyrologium Romanum, ad diem 26. Junii, Gallorum multos ad fidem convertisse recitat. Imò Lucam Evangelistam, jussu Magistri sui Pauli, sese in vastissimam hanc Regionem contulisse, atque illic denique præcipuum in fidei prædicatione præ cæteris studium adhibuisse, idem Epiphanius Author est.

Quibus, aliisque convellitur testimonium Gregorii Turonensis, cujus simplicitati parcendum vult Hilduinus; quemque frequenter Baronius in *Annalib. notisque ad Mart. Rom.* facilitatis nomine reprehendit. Salsè etiam carpit Hugo Mathoud, Presbyter. Ord. S. Bened. Congreg. S. Mauri, *de vera Senonum Origine*, Eliam Du Pin, quod ex illo Gregorii loco, Dionysium Parisiensem juniorem esse, probare velit, & tamen postea in judicanda S. Cypriani Epistola Gregonianum illum lucrum labefactet. Advertunt alii, Gregorium sibi contrarium fuisse; cum in ipso Episcoporum, sub Decio missorum, catalogo, Saturninum reponat, quem tamen *Lib. 1. de miracul. cap. 48.* ab Apostolorum discipulis ordinatum, & in urbem Tolosatam directum commemorat. Id tamen, ut cum Gregorio componatur, ejusque integra maneat autoritas, quidam sic interpretantur: quod illi Episcopi non sint actualiter sub Decii Imperatoris regimine missi: sed, quod ante illos missi fuerant: hinc illo imperante, missi censentur, qui tunc vivebant.

Verùm hæc responsiones Anti-Areopagiticis videntur satis ineptæ, explicationes contortæ, instantiæ frivolæ, malèque sibi coherentes. Atque imprimis negatur, quod citata Epistola ad Jacobum sit genuina, quæ ipso jam mortuo à Clemente fuisset exarata. Reperitur eadem quidem in Codicibus: sed, ut Labbeus *tom. 1. Collect. maxima.* obser-

observat, pars posterior, ubi de missione Episcoporum in Gallias agitur, in quibusdam antiquis non extat, utique sæculo septimo addita, indeque error ille aut ortus fuit, aut plurimum invaluit. Libri in Bibliothecis hinc inde reperti, quandoquidem de eorum authentia non constat; sintque posterioribus retrò sæculis scripti, sublestæ sunt fidei. Sua perstet Romano Martyrologio moderno autoritas, quod Baronius canonizatum voluit. Neque tamen, qui illud meritò suspiciunt moderni Critici, Pagius, Ruinartius, Papebrochius, Janningus, Sollerius, alique à se impetrare potuerunt, ut cuncta, quæ huic inserta reperiuntur, in veritates indubitabiles transiisse crederent, quibus in comperto fuit, quædam in eo suprema auctoritate mutata, & expuncta fuisse, quædam adhuc correctioni subjacere; de quibus non planè nulla spes est, fore, ut aliquando mutantur. Neque illam, quam aliunde Martyrologium obtinuit auctoritatem, sibi ab antiquitate vindicare potest, si verum, quod Valesius *dissert. de Rom. Martyrol.* sustinet: nullum unquam fuisse peculiare Martyrologium Rom. Ecclesiæ, ante illud, quod jussu Sixti V. editum, hoc titulo ac Baronii notis illustratum; id, quod rationibus non impertibus confirmat; beneque adverit Kalendaria multùm differre à Martyrologiis; quod illa unius loci propriæ fuerint tabulæ, in quibus Sanctorum nomina continebantur, quot annis memoriâ celebrandorum in ea Ecclesia: hæc autem recenseant nomina urbium, locorumve, ubi Sancti colerentur. Nec est, quod in argumentum vetustatis, illud, quod Rosveidus putavit se invenisse Martyrologium, adducant, Paulo V. oblatum, & tantoperè à Baronio expetitur: licet enim inventor credere voluerit, hoc ipsum esse, fuisseque Ecclesiæ Romanæ proprium, non tamen idem cæteris eruditissimis persuadere potuit. Quorumcumque demùm aliorum Martyrologiorum vacillat auctori-

tas; quando ipse Milletius, Areopagiticæ de Dionysio traditionis vindex, asseverat *Vind. Lib. 2. cap. 4. nulla ad nos, nisi ad imitatione novorum Sanctorum, aut Græcorum imitatione corrupta, Martyrologia pervenisse.* Quodque corruptionis suspicionem ingerit, est illud, quod vel in ipso Romano, sic demum nuncupato, diversis typis vulgato, non eadem de eodem Sancto referantur. Et quantum ad præsens; in eo, quod Patavii circa an. 1500. à Bellino editum, ad Kal. Octob. hæc leguntur. *Tornaco S. Prætonis Presbyteri & Martyris, qui cum Beato Dionysio Episc. ejusque Sociis ab urbe Romæ Galliam prædicationis causa expetiit: ac postea in persecutione Maximiani consummatus Martyrio migravit ad Dominum.* Ergo post an. Domini 285, uterque passus fuit. Verùm in eo, quod postea Baronius vulgavit Martyrologio Rom. loco *Dionysii Quintini* substitutus fuit. Quæ de Trophimi legatione feruntur, ortum suum habuere sæculo post mortem Sulpitii: siquidem in ipso finis sæculi IV. cum inter Arelatensem & Viennensem Episcopos coram PP. Taurinensis Concilii de Primatu controversia ageretur; nec ea ab Arelatensi pro sua causa fuit allegata missio, nec Trophimus agnitus. Quam legationem Patroclus postea in eadem causa produxit. De suo discipulo Trophimo scribit Paulus in *cit. Epistola*, quam imminentis morte sua exaravit, se illum Meleti reliquisset infirmum. Qui si deinceps convalescit, quo demum missus sit, inter Authores non convenit, cum in libello Viennensi oblato, atque ab aliis à Petro ablegatus referatur, quem Vincentius Bellov. in *Speculo hist. lib. 9. cap. 149.* Petrus de Natal. *Catal. SS. lib. 2. cap. 18.* alique plures à Paulo Apostolo in Gallias mandatum volunt. Aliis vero placet Trophimum à Paulo missum ex Hispania, de cujus tamen in Hispaniam profectioe adhuc sub iudice lis est. Zosimus Pontifex rescribit Trophimum ex Sede Apostolica

stolica Arelatum fuisse directum: igitur non  
 à Paulo; sed neque Petri jussu illuc venisse  
 indicat. Quodsi ex Trophimi fonte, ut  
 ibidem adstruitur, tota Gallia fidei rivulos  
 accepit; à vero recedit illa de Dionysio  
 traditio, quod Parisiensibus, aliisque popu-  
 lis confinibus fidei lucem attulerit; &, ut  
 Methodius, Maximus &c. &c. in vita refe-  
 runt, quod Parisienses invenerit incultos  
 Barbaros: quodque ad portas Arelaten-  
 sis urbis appropinquans, non veritus duritiem  
 & ferocitatem gentis, mox ad fidei præco-  
 nium se contulerit. Fuisse quidem Trophi-  
 mum Arelatensem Antistitem, testem habe-  
 mus Gregorium Turonensem *loc. cit.* sed  
 alius fuit à Pauli discipulo, eoque bisæculo  
 junior, atque hic in Tabulis Arelaten-  
 sibus, à Mabillonio editis, in ordine secundus re-  
 censetur Episcopus. Quæ de Sergio Paulo,  
 Lazaro, & Maximino circumferuntur, nar-  
 ratiunculis illis adnumerantur: quæ magis  
 de antiquitate, quam veritate participant.  
 Acta Mariæ Magdalænæ, Marthæ &c. falsis  
 colluculata nullius æris censentur. Ejsdem-  
 que commatis sunt acta Martialis, in quibus  
 reperire licet, quæ nulla ex parte veritati sunt  
 consentanea, aut in Chronotaxi subsistere  
 valent. Epistolæ Pseudepigraphæ veri spe-  
 cie hanc non tingunt traditionem, in qui-  
 bus fit mentio Galliæ Regis Stephani bap-  
 tizati sub Nerone; cum tamen eo tempore  
 nulli Reges in Gallia fuerint. Citantur etiam  
 verba ex Libro Genesis, quæ in vulgata edi-  
 tione solum extant. Quodsi de Martialis  
 Apostolatu quondam in Concilio Lemovi-  
 censi acriter agitata, & demùm in illius fa-  
 vorem, Romani Pontificis autoritate, sit  
 finita quæstio: necdum tamen perorata est  
 illa, quo tempore is fidem in Galliam inve-  
 xerit. Quæ de Crescente olim credita, potissi-  
 mum ex vitiosa Sac. Scripturæ lectione pro-  
 verunt. Nec morari hic oportet Rufinum, So-  
 phronium, epiphanium, Eusebiumve, cujus ta-  
 men aliqua translationes hoc mendo carent,

in quibus legitur *Galatia loco Gallia*. Præ-  
 terquam enim, quod vetustissima, & cer-  
 tissima sit lectio, teste Petavio *animadvert.*  
*in hæres. 51.* quæ *Galatiam* habet, quæ etiam  
 est Chrylostomi, Theodoret, Bedæ, Theo-  
 phylacti & Oecumenii. &c. id unum pro-  
 omnibus sufficiat, quod in Vulgatis sic extet.  
 Est autem Galatia Regio in Asia minori, quæ  
 etiam Gallo-Græcia inde vocatur: quod  
 postquam Galli relicto natali solo Italiam in-  
 vasissent, Macedoniam occupassent, Græ-  
 ciamque implèssent, Galatiam inhabitare  
 cœperint. Quod post Justinum confirmat  
 S. Hieronymus in *Proœm. Lib. 2. Comm. in*  
*Epist. ad Galat.* Ad hujus itaque Regionis  
 incolas Crescens fuit missus, qui descende-  
 runt à Gallis Eduis, Romanorum amicis, ut  
 Author est Cicero: non autem ad Gallos in  
 Europa. Hos quidem Galatas dictos Ammi-  
 anus Marcellinus *Lib. 5.* meminit: ast Gala-  
 tiam esse à Gallia diversam, vel ex ipso Mar-  
 tyrologio Romano verum esse debet; quæ-  
 do inibi legitur, quod ex Adone est fœnera-  
 tum; Crescentem in Gallias transitum fecisse,  
 & demum ad Galatas, quibus specialiter  
 datus erat Episcopus, rediisse. Quomodo  
 ergo fuit is Viennensis in Gallia Episcopus?  
 De hoc Episcopatu nihil Eusebius, Hierony-  
 mus, Epiphanius, Sulpitius, aut quis vete-  
 rum; quia in monumentis antiquioribus,  
 nullum prorsus hujus invenerunt vestigium.  
 In antiquo Martyrologio Romano, quod  
 Rosweidus autumat se reperiisse, hæc dun-  
 taxat proferuntur vigesima septima Junii.  
*Apud Galatiam Crescentis, discipuli beati*  
*Pauli Apostoli.* Quodsi idem sit Crescens  
 ille, qui primus Antistes Moguntiam venit,  
 ut communis fert opinio, quam suo calculo  
 consignat Petrus Cluniacensis *Lib. 1. Epist. 1.*  
 ac deinde in Gallia Evangelium prædicasse  
 asseritur; profectò in labyrinthum videtur  
 inductus, quem nullius Ariadnis auxilio ex-  
 ire potuerit. Ipsa pariter via flexuosa, qua  
 ex una Regione in aliam perrexisse perhibe-  
 tur,

tur, historiae fidem magis suspectam reddit, ut illustrissimus observat Bosquetius. Si obliqua viarum ambages adducunt in magnam suspicionem falsi praetensam Crescentis expeditionem in Gallia: incredibilem poene efficit Dionysii Areopagita missionem ad Gallos, hujus protelata in itinere plurium annorum mora. Fertur enim in libro Passionis, quod Dionysius Martyrii flagrans desiderio Athenas reliquerit, ut cum sanctis Apostolis occumberet, velocius properaverit. Intellecta autem eorum morte gloriosa substituit: sub Pontificatu Clementis in urbem tandem advenerit. Quis jam in animum sibi inducet, virum sanctum, ovibus, sibi ab Apostolo concreditus, relictis, alterique commissis, sese voluisse in capitis discrimen Romae conjicere, cui Martyrii coronam adipiscendi Athenis non deerat occasio, qui certe audita, vel, ut Episcopus Equilinus narrat, visa morte sanctorum Apostolorum, regredi, conformiter doctrinae Apostolicae, utique debuisset, ut pasceret gregem suum; cui tantoperè erat necessarius. Ipsemet Abbas Urspergensis, qui ex citato Libro Passionis rem depromit, quantumcunque credulus, hanc in itinere subsistentiam reputat incredibilem, dum sic prosequitur. *Quae igitur fuit festinantia tanti desiderii. Si per viginti annorum spatium, vel amplius, inter Athenas, & Romam nullo potuit obsistente cohiberi? Nec enim illud refragatur, quod, ostio fidei sibi aperto, causa seminandi verbum Dei aliquamdiu retardatus fuisse narratur. Qui, etsi per contiguas Parochias divina semina predicandi avidus dispererat, Passionis tamen desiderio fervens, ab Athenis infra 24. annos maturius Romam contendere poterat.* Rectè. Quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, ut Ambrosius in Lucam scribit. Quodsi, ex recepto Theologorum placito, in sua, jure divino, debeat residere Diocesi quisvis Episcopus; quis prudenter credet sanctum hunc Praesulem, huc

illucque extra Regionem in alias longinquas peregrè profectum, ibidem haesisse? quod in omni antiquitate de Episcopis probis est peregrinum.

III. Non solum in manuscripto Senaxario pervetusto Claromontano legitur, quod sanctus Dionysius Areopagita Athenis combustus sit: sed insuper antiquissima (Lanoy enumerat 18. diversarum Diocesium) Martyrologia Gallicana, imò omnia, Diomondo teste, referunt memoriam ejusdem Dionysii, Atheniensis Episcopi, tertia Octobris. Hic autem fuit Areopagita, qui ab Apostolo Paulo, ut perhibet Dionysius, Corinthiorum Episcopus, apud Eusebium Lib. 3. hist. cap. 4. fuit Athenis Episcopus constitutus, vivusque ibidem, pro confessione verae fidei, flammis combustus; quemadmodum Aristides Atheniensis, in fide & sapientia mirabilis, testatum reliquit, cujus testimonium, Martyrologio Ussuardi etiam insertum exhibetur. Alterius verò Dionysii memoria agitur nona die Octobris, qui fuit Episcopus Parisiensis, & capite truncatus refertur. Quo die nunc, ob nominum confusionem, Areopagita Festum, juxta modernum Martyrologium Romanum celebratur, meritò proinde Baillet censet laboriosum & inutiles esse fictiones combinantium Dionysios. Cæterum Martyrologium, quod vetus vocant, à Rosvveido editum; item quod sub nomine Bedae circumfertur, & à Floro interpolatum, necnon Adonis, Nocheri; sicut Ussuardi: Monologium quoque modernorum Graecorum, pariterque Menæa ipsa die tertiâ, Dionysii Areopagita memoriam repræsentant. Quæ, cum Dionysii Parisiensis festum Nona ejusdem mensis die recolant; circa dubium hunc ab illo distinguunt. Atque hinc certò liquet, esse recentiorem illam opinionem, Dionysium Areopagitam venisse in Galliam, quæ nonnulli nono præcipuè sæculo audiri cœpit. Arramen Hilduinistæ omnibus nervis obsistunt &

& , ut duos hosce in unum redigant mare  
 caelo miscant; nec contra suam opinionem  
 discuti, aut illam in quaestionem vocari pa-  
 tiuntur. *Quasi Parisiense parum interfit*  
 ( scribit Sirmondus in *Con- Gall. in notis ad*  
*Epistolam Ludovici* ) *ut, quam Apostolo suo*  
*gratiam debent, eam alieno ne tribuant: aut*  
*in Ecclesia levis sit injuria, cum duos sancti-*  
*tate praestantes Episcopos habeat; alterum de-*  
*trahere.*

Alii periculis rem tractantes, ut veritas ag-  
 gitata in lucem tandem splendescat occur-  
 runt. *Primo* allegando Martyrologia vetu-  
 tissima in contrarium, & quidem Hiero-  
 nymi, quod creditur esse Eusebii continua-  
 tum, & à Romanis usurpatum: extatque in  
 Monasterio Corbejensi M. S. in quo unius  
 duntaxat Dionysii fit mentio, scilicet die nona  
 Octobris. Item in Bedae Martyrologio an-  
 tiquissimo, apud Baronium *tom. 1. Annal.*  
*ad annum 109.* ipso die sic legitur. *Apud Pa-*  
*risium Natale sanctorum Mart. Dionysii Epif-*  
*copi, Eleutherii Presbyteri & Rustici Diaconi.*  
*Qui B. Episcopus à Pontifice Clemente Roma-*  
*no in Gallias directus, ut praedicationis ope-*  
*ram populis, à fide Christi alienis, exhiberet,*  
*tandem ad Parisiorum civitatem devenit, &*  
*per annos aliquot sanctum opus fideliter, &*  
*ardenter executus, à Praefecto Fescennio Si-*  
*smio comprehensus est, & cum eo sanctus*  
*Presbyter Eleutherius, & Rusticus Diaconus*  
*gladio animadversi, Martyrium compleve-*  
*runt.* Insuper Romanum aliud, acceptum  
 olim ex reliquiis Monasterii sancti Cyriaci,  
 unum tantum habet Dionysium, Parisiensem  
 scilicet 7<sup>mo</sup> idus Octobris. Rabani quoque  
 Martyrologium unius Dionysii Parisiensis  
 eodem die meminit. Wandalberti sic ha-  
 bet.

*Gallia Doctorem, Paulo instituyente, bea-*  
*tum*  
*Quem meruit geminum comptum junctum-*  
*que ministro.*

Itaque supra allegata in aliis Martyrologiis  
 cenferi debent interpolata & affuta. Se-  
 quentes verò Martyrologographi errorem non  
 observantes, & incircumspectè scribentes  
 subjacent correctioni. 2<sup>do</sup> Martyrologia  
 ex adverso producta, si tanquam incorrupta  
 etiam admitterentur, referunt Dionysium  
 tertiam Octobris, & pariter ejusdem mensis  
 nona die, ut observat Galefinus in Marty-  
 rologio, à se edito, ac Gregorio XIII. Pon-  
 tifici Maximo dedicato. Et si ejusdem Sancti  
 memoria etiamnum, ut fertur Athenis à re-  
 siduis Catholicis solemniter celebretur; ta-  
 men ibidem martyrium subisse nequaquam  
 inferri potest. Ipse Ussuardus, quem nonam  
 Octobris Episcopum Parisiensem fuisse re-  
 fert, alium ab Arcopagita, tertiam die rela-  
 tum, nullis verbis insinuat. Quin Mola-  
 nus, in annotationibus ad editum à se Mar-  
 tyrologium Ussuardi, ostendit, quod nona  
 Octobris de Dionysio Arcopagita fiat men-  
 tio.

Quidquid sit de hoc, Joannes Baptista  
 Sollerius, eximius hujus saeculi hagiographus,  
 in eo, quod improbo labore ex quampluri-  
 mis vetustissimis scriptis recentissimè edidit,  
 Martyrologio, extra dubium esse scribit,  
 unum Dionysium ab altero distingui. Qui  
 cum nonam Octobris citasset à se perlecta  
 Martyrologia Hieronymi, Bedae, Adonis,  
 Notkeri, Ussuardi, Romanum parvum,  
 subjungit. *Fallor vehementer, si ex his om-*  
*nibus vel umbram Arcopagiticam expresseris.*  
*Hac si conferantur curis, qua tertia Octo-*  
*bris in iisdem Martyrologiis leguntur, aper-*  
*tissime conspicias ex eorum morte hodiernum*  
*Dionysium ab Arcopagita remotissimum.* Ita  
 ille. Cujus rei argumentum adducit tertiam  
 Octobris in observatione ex M. S. Epistola  
 Rosveidi hanc pericopam. *Consuli poterunt*  
*Roma omnia vetustissima Martyrologia Ro-*  
*mana: non estimo ullum inveniri posse ante*  
*tempus Hilduini Abbatis, quod nonam Octo-*  
*bris Dionysium Arcopagitam representet.* Fors

Baronius, si vetus Martyrologium Romanum, cuius desiderio tantoperè tenebatur, vidisset, in aliam sententiam declinasset. Sic autem in eo, quod ejusdem Rosvveidi operâ lucem aspexit, habetur. *Quinto nonas Octobris Athenis Dionysii Areopagita sub Adriano diversis tormentis passi, ut Aristidis testis est in opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur. Et 7. Id. Octobris. Parisiis Dionysii Episcopi cum Sociis suis à Fescennio gladio animadversi.*

Cæterùm, quod Martyrologium hoc, & alia passim referant, Dionysium occubuisse martyrem Athenis, Adriano Imperatore, quodammodo implicat. Hoc enim contigisset anno æræ Christianæ 125, quo tempore Atheniensium Ecclesiam, post Publium Martyrio sublatum, regebat Quadratus: sicut S. Hieronymus *Libro de Script. Eccles.* observat. Cum ergo Publium præcessisset Narcissus, ut legere est apud Hypolitum in *Libro 72. discipulorum*, Narcissum verum antecesset Dionysius; difficile creditu videtur, tot Episcopos, tam exiguo temporis spatio interemptos; & in tam sæva persecutio- ne tot alios electos, idque nescivisse S. Hieronymum; aut, si sciverit, silentio præterisse. Pro ea quidem opinione Natalis Alexander *sec. 1. Dissert. 15.* allegat Suidam. Sed allucinatur vir eruditus; quandoquidem Suidas ita scribat. *Theologus ille Dionysius provelta jam ætate Spiritus Martyrio pro Christo consummatur imperante Trajano.* Quando illum occubuisse pariter sentit Michaël Syncellus: contrariantibus Græcis; Metaphraste, item Hilduino, Hincmaro, qui sub Domitiano Dionysii martyrium constituunt, quos sibi ipsis contraria scribere, certum vult Baronius *ad annum Christi 109. n. 39.*

Ut igitur præfata Martyrologia sarrâ tecta maneant, & Anti-Hilduinistæ hinc sese comi-

modè expediant; dicunt, quod tempus, quod S. Dionysius Areopagita martyrium subierit, non æquè ac locus fuerit à Scriptore corvo designatum; sufficiat verò ex Dionysii Corinthiorum Episcopi Epistola, apud Eusebium *hist. Eccl. Lib. 4. cap. 4.* item *cap. 23.* quod constet, eundem à Paulo Apostolo ad fidem conversum Atheniensis Ecclesie Episcopatum administrasse; & martyrio ibidem condecoratum Narcisso sedem reliquisse.

Ast, si verum fateri oportebit, ex *loc. cit.* liquet quidem Dionysium Episcopatum Athenis administrasse: non tamen Atheni martyrio occubuisse. Quo tamen æquè minus, ac quorundam aliorum silentio, sed Authorum de loco martyrii, uti & temporis discrepantia perperam è Protestantium cœsus recensissimus non ineligans Scriptor in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* inferre conatur, Dionysium hunc sicca, ut ait, monuisse. Cùm enim plura antiquorum Scriptorum monumenta, atque ipsiusmet Eusebii, ea referentis, opera interierint, quæ appetitum cient, famem non sedant, verissime est, quod illa, quæ de virorum illustrium morte in iisdem libris retulerant, tum ipsorum alii alibi silentio præterierint. Veneranda certè antiquitas, fama que perpetuè stabilita, sanctum Dionysium Areopagitam Martyrem Ecclesie exhibuit. Huic autem cùm rationibus in contrarium destitutis Author adversari voluerit, in religionem commisit. Qui, alio loco Petrum Apostolum Romæ vixisse ex antiqua traditione convictus, protestatur, quod absque gravissimis argumentis (qualia non sunt purè negativa) antiquitati adversa fronte occurrere, sibi religio sit.

III. Paradoxum, prorsusque videtur absolum, quod narratur de S. Dionysio; eum scilicet jam decrepitem, & nonagenarium Sedem, & Ecclesiam Atheniensem, sibi à Doctore gentium concreditam, reliquisse: Re-

Romam, & quæ est Baronii conjectura, Joannis Evangelistæ consilio, sese ad Clementem contulisse: inde ab eo Parisios missum. Hujus non meminit Nicephorus, qui alias Episcopos, qui olim sedem mutaverant, recenset. Sed neque Socrates Dionysium iis adnumerat Episcopis, qui à prima sua Sede ad aliam migraverant; quorum ipse texuit catalogum, insertum ab Ivone Carnotensi prologo suo Decreti. Quin in contrarium Patres Concilii Sardicensis testantur, nunquam ullum fuisse inventum Episcopum, qui ab ampliore civitate migraverit ad minorem. Quare necesse est, ut hæc, quæ præfertur Dionysii migratio, sit à veritate aliena. Siquidem Athenæ, civitas Græciæ celeberrima, disciplinarum omnium Altrix, & amplissima erat; Lutetia autem oppidum perexiguum, ut in ipsis actis nominatur. Insuper fide majus esse videtur, Dionysium prædicationis gratià eò profectum in effœta vix credibili senectâ; quando, exesit corporis viribus confectus huic expeditioni, quæ multum roboris validumque requirebat virum, minimè idoneus esse poterat.

*Nam impar senex curis  
Morbi insiar est senibus peregrinatio.*

Solutionem argumenti inficialis facilè subsequi putant Hilduinistæ, si dicatur, quod Deus vocando S. Dionysium in provecta ætate ad gentium conversionem, ei quoque contulerit vires & robur, vegetando corporis artus, ut par laboribus ea perficere posset, quæ suscepti Apostolici muneris ratio exigebat. In hujus supplementum etiam socios validos & perquam aptos assumpserat. Nicephorum verò ajunt, juxta quod ipsemet profiteretur plures Episcopos, qui ad aliam Sedem migraverant, prætermisisse. Quod idem de Socrate dicendum venit. Ad Canonem Concilii Sardicensis, quod attinet. Nat. Alexander vult sensum restringendum ad so-

los Episcopos avaros & ambitiosos, quorum nullus à majori ad minorem migrasse legitur urbem. Quæ tamen expositio exponit Patres ludibrios: quasi, dum universaliter loquuntur, universaliter nolint intelligi. Intendebant sapientissimi Præsules prohibere, ne Episcopi quovis prætextu suas mutare præsumerent sedes: & ne forsan simularent pietatem, aut desiderium succurrendi proximo, palliando ambitionem seu avaritiam; adducunt illi, quod nemo unquam inventus sit, qui hoc motivo ductus, relicto ampliori Episcopatu, minorem comprehensarit. Simile Decretum extat in Synodo Antiochena Can. 21. *Episcopus ab alia parochia nequamquam migret ad aliam; nec sponte sua prorsus insiliens, nec vi coactus à populo, nec ab Episcopo necessitate compulsus. Maneat autem in Ecclesia, quam primitus à Deo sortitus est, nec inde transmigret secundum pristinum de hac re terminum constitutum.* Quibus verbis postremò indicatur id, quod Apostolico ævo constitutum fuerat, renovari.

Quod verò dicatur Dionysium Areopagitam sedem propriè non mutasse: sed prorsus reliquisse, vanum profectò est effugium. Ergone sedem relinquere prorsus licebat Episcopò, quando mutare nefas erat. Quod si relinquere licuisset; aliam sanè sedem præferre prohibitum non erat, cum non nisi derelictâ priore sponsâ, aliam assumere posset. Sed cur demùm reliquisset Dionysius Ecclesiam Atheniensem; si fortè etiam de Parisina, ut Alexander hariolatur, non cogitasset? An, quod ait, ut prædicationi divinæ se totum daret? jam supponere oportebit, quod prædicatione illa Verbi Divini per Episcopatum impediatur; ut sic necesse fuerit sancto Dionysio illi renuntiare. Atqui hoc est proprium & principale munus Episcopi: ut Gentium Prædicatores Episcopos docet. Poterat certè Dionysius in tota Græcia, ubi gens numerosissima, si Athenarum locus nimis angustus visus fuisset, seminare semen suum, & ea,

qua pollebat eruditione ; Philosophorum perversa dogmata impugnare , absque eo , quod gregem suum desereret , in quo ipsum Spiritus sanctus posuit Episcopum regere Ecclesiam Dei , ut Paulus loquitur. *Act.* 20.

IV. Certum exploratumque est , quod Dionysius Areopagita à nullo Pontificum Romanorum in primis Ecclesiae saeculis , dum mentio illius facta , vocatus sit Episcopus Parisiensis. Adrianus I. in Epistola , quam ad Carolum Magnum dedit pro septima Synodo , sic de eodem scribit. *S. Dionysius Areopagita , qui & Episcopus Atheniensis. &c.* Nec aliter compellatur in Concilio Lateranensi sub Martino I. in *Secretario* 3. In Synodo œcumenica Sexta. *Act.* 8. vocatur Dionysius Episcopus Atheniensis & Martyr. A Phorio in *Bibl. Codice* 234. Atheniensium Episcopus nominatur , item à Suida , aliisque veteribus à nullo tamen horum Dionysius ille Episcopi Parisiensis titulo condecoratur. Liberatus in *Breviario* cap. 10. illum nominat Corinthiorum Episcopum , qui locus , si fortasse adjunctione *Areopagita* , sit interpolatus ; non tamen de Bedae loco in *Act. cap.* 17. id æquè facile credi potest , ubi legitur. *Hic est Dionysius , qui post Episcopus ordinatus , Corinthiorum gloriose rexit Ecclesiam.* Dicendum potiùs tam Liberatum , quam Bedam , memoriae lapsu , *Corinthiorum* , pro *Atheniensium* Episcopum posuisse ; quandoquidem ex ipso Corinthiorum Episcopo Dionysio , apud *Euseb. Hist. Eccl. l. 3. cap. 4.* habeamus , Areopagitam primum Atheniensium fuisse Episcopum.

Certum quoque , exploratumque est , quod primis octo saeculis usque ad Ludovicum Pium , tota Gallia , imò universa Ecclesia Catholica crediderit , alium fuisse Dionysium Atheniensium Episcopum : alium Parisiensem ; donec Legati Imperatoris Orientis , frequenter in Galliam adventantes , audientesque Dionysium esse primariae urbis Episcopum , ac Patronum , attulerunt libros de

coelesti hierarchia , de divinis nominibus quorum Authorem dicebant esse Dionysium Parisiensem Episcopum ; idque perquam opportunè arripuit Hilduinus Abbas Monasterii S. Dionysii & Methodio Synchronus qui sociando sese rebellibus Ludovici Pii filii , tandemque in gratiam ab Imperatore receptus , rebellionis & ingratitude maculam culturâ obrutæ historiae refarcire conatus librum scripsit , quem vocavit *Areopagitica* , in quo ex actis à Visbio , quasi rebus Martyrii oculato , aliisque congestis Mythologis probare nititur identitatem S. Parisiensis Dionysii , & Atheniensis ; & quæ ab omnibus Græculis conficta ; idiotæ , imò & medicriter eruditi inter veras historias receperunt. Hunc Abbatem Launoy *Dissert. de Scriptoribus observ. 6.* multiplicis imposturæ & crallorum arguit errorum. Eundem Tillemont *tom. 4. not. 2. ad Dionys.* scribit satis ignorantem audacemque fuisse , ut Historicis Scriptoribusque celeberrimis imponeret. De Pin vocat illum fabulis refertum Authorem , qui plures falsitates obruserit , & manifestum suppositivum Visbium in mundum inventum rit.

Atque hi sunt Attici testes , qui Gallorum credulitati imposuerunt , quibusque obstentantibus commentum in Gallia prognatum , quod in Græcia conceptum , mundum perecrebuit. Perditis siquidem Græcorum rebus , qui à Francorum Regibus superperias postulabant ; ingenio Græcorum factum est , ut S. Dionysii Monachis , penes quos maxima Galliae pars rerum erat , suo Dionysio dignitatem Areopagiticam , & Pauli Apostoli discipulatum primum affingentibus , ultra applauderetur ; sicque veris fictive monumentis tota res affirmaretur. Econtra tota credidit antiquitas , quod Dionysius Areopagita , Atheniensis Episcopus , ibidem ob Christi fidem vivus fuerit combustus. *Hinc eorum irridenda sunt nova* , subinfert Brietius , qui



qui vivum Athenis combustum tradunt postea Parisios venisse. Quo sanè irridendus venit vir bonus, Petrus de Natalibus, qui in *Catalogo Sanctorum Lib. 9. cap. 16.* ex Adone Dionysium Areopagitam, Aristidis testimonio, apud Athenas glorioso Martyrio coronatum, *cap. 91.* Parisiis pro Christo capite plexum, ut novam reproducit phœnicem.

Hilduinistæ interea nolentes suam opinionem circularum popularium garrulitate defendi; Neque Græcorum affectationi proximam originem adferri, producunt diploma antiquius, scilicet Pipini, anno 17<sup>mo</sup> regni sui datum in gratiam Monachorum S. Dionysii: extatque integrum in Archivio illius Monasterii, in quo legitur. *Dionysius, & sapè iam dictus Eleutherius, & Rusticus, qui primi post Apostolos sub ordinatione B. Clementis, Petri Successoris, in hanc Gallicarum Provinciam venerunt &c. &c.* Deinde in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, vetustissimus extat codex M. S. in quo narrantur plurimorum gesta Sanctorum; inter quæ historia S. Genovesæ, pauld post obitum ejus à Genesio Presbytero, ante annos ferè 1200. ante Hilduini tempora 300. ut minimum exarata, hæc habet de Virgine illa fol. 65. *Multa quoque sub frequentatione egrediens Parisium, præ omnibus adire solebat Catalucensem locum; eo quod ibi primus Episcopus Parisiensis, videlicet Dionysius cum Rustico & Eleutherio à persecutoribus Martyrio coronatus, à pijs habitatoribus ejusdem loci sepultura est traditus. Qui Dionysius ortus Athenis sacerdosque primum more Gentilium Areopagi effectus; deinde abrenuntians idolis, conversus ad predicationem Pauli credidit in Christum.* Similia habentur apud Surium in vita præfatæ Virginis. Pictaviensis quoque Episcopus, Gregorio Turonensi coævus, in hymno, quem de B. Dionysio composuit, manifestè declarat, illum à Clemente missum in Galliam. Eugenius Toletanus Episco-

pus, duobus sæculis Hilduino senior, hoc ipsum pariter testatum reliquit. Subscribunt Historici exteri Latini, eosque cecenset Milletus *Lib. 32. cap. 10.* qui *cap. 13.* ejusdem Libri corollario in augmentum probationis pro sua sententia, & enervanda contraria opinione præterdit, non extare Dionysii sepulchrum Athenis; nunquam istic locorum in illius honorem templum superstructum. Cùm tamen Parisiense Regium frequentaverint Imperatores ac Reges. Nullas etiam reliquias S. Dionysii reperiri in Oriente; miraturque Scriptor ille, in universitate urbis hujus incomparabilis reperitum esse neminem, qui reclamaverit, errorem non excussum, aut saltem patfactum.

Hæc quidem omnia & singula, sicut plurimum facere arbitrantur Hilduinistæ, pro stabiliendo suo opinamento, quod exinde multum antiquitatis acquirit; sic nullatenus suam infirmare, dicunt adversarii, crisin.

Respondent enim Diploma Pipini, ab interesse habentibus productum, ut minimum esse de suppositione suspectum. Nec incongruè. Cùm enim hujusmodi diplomata non pauca, ab impostoribus, variis de causis, fuerint conficta, ut videre est apud celeberrimum Mabillonium in re diplomatica exercitatissimum: authographum producti diplomatis Pipiniani, citra temeritatem, à circumspectis meritò vocatur in dubium. Fuisse aliquando eam morum corruptelam, ut etiam illi, qui Dei famularum erant professi, non magno crimine sibi duccerent, pro tuendis possessionibus suis, diplomata fingere, vel interpolare, agnovit etiam Baronius, & manifestè probat Papebrochius. Iptum Hilduinum de suo finxisse literas sub nominibus Innocentii, Gelasii, Gregorii ad Episcopos Galliarum & horum responsorias ad Pontifices observat Launoy *de duob. Dionys. Discuss. cap. 8.*

Acta

Acta S. Genovefæ à Genesio Presbytero , ut fertur , scripta , ob plurima , quæ scitent menda , fidem non merentur. Quæ Laurentius Surius fœneravit , examurcari deberent , priusquam inter pura reponerentur. Liber prætensè vetustissimus ab Hilduino creditur scriptus , aut interpolatus. Venant Fortunatus nihil præjudicii infert veritati , si hymnum ita composuisset , qui inter ejus opera in Biblioth. PP. deest. Qualem ann. 1624. Jac. Dubletius *Lib. 1. antiq.* edidit , in eo Dionysii Areop. non meminit. Neque illum nominat Eugenius Episcopus Tolet. Bosquetius *Lib. 1. Hist. cap. ult.* fatetur quendam Dionysium à Clemente missum ; sed negat hunc Areopagitam fuisse. Joannes Erigena pariter negat hujus missionis memoriam apud antiquos extare. Sed à modernis propugnari asserit. Quo datur intelligi , historiam non à cana : sed ab impexa ætate , ut Tacitus in Dialogo , illi adjudicato , loquitur , ortum suum trahere.

Negant deinde Anti-Hilduinistæ ex Scriptorum silentio de reliquiis S. Dionysii quidpiam posse in dubium trahi. Quod si ex posteris non sit , qui de sepultura , templo , vel Dionysii reliquiis referat , perperam inferitur , quod Athenis non fuerit sepultus , cultus , aut ejus sacræ exuviæ in honore habitæ. Interim compertum est ; caput hujus Sancti An. 1205. donatum Sueffionensibus à Constantinopolitanis , illudque ab Episcopo Nivelone in loco Ecclesiæ honorificentè positum.

Quod , Scriptoribus silentibus , verisimile non est , fuisse è Gallia Constantinopolim aliquando translatum : quin potius in Oriente religiosè asservatum , demùm Constantinopolitanis , ut alia quamplurimæ reliquiæ , obtigerit. Imperatorum Regumque munificentia , ac pia veneratio non efficit , ut à parte rei sit corpus illud , quod creditur alicubi reconditum ; sed plerumque ab

aliis inducti , aut vulgi opinione persuasi Divorum patrocinium invocant , ubi potissimum eorum opem sese obtenturos sperant. Etiam quandoque obtinent , illius Sancti intercessione , & meritis , petitionis suæ effectum ; quemadmodum is , qui alicui largitur eleëmofynam , credens esse verè pauperem , cum tamen non sit , meretur. Licet diligentiam non adhibuerit inquirendi de illius statu , cui eleëmofynam dedit.

Recentiorum testimonia majoris nequeunt esse Authoritatis , quàm unde desumpta ex Hilduini nempe commentis , in quibus præter alias hallucinationes , illius oblectant moderni sectatores , quod plures eum eodem aberraverint , qui scripserunt Dionysium anno secundo Domitiani Martyrium fuisse perpeffum ; quod alii eum sub Adriano consummasse volunt. Cæterum , quod Hilduinus post adoptionem fabulæ novæ sibi adversantes senserit , dubitari nequit. Eatis colligitur ex Epistola Anastasii Bibliothecarii ad Carolum Calvum , ( si tamen verius sit , ) in qua sic scribit. *Cesset ergo jam quorundam opinio , perhibentium non esse Areopagitam Dionysium , eum , qui propè Parisiam corpore ac virtutibus redolet.* Fortè ad verum Anastasii apud quosdam ea cessavit opinio , paulò post tamen incrementum sumpsit , quando increbuit , illud corpus per quendam Germanum , nomine Gisabertum , miro astu inde sublatum ; Arnolpho Imperatori , quem illius desiderio teneri noverat , oblatum , ac Ratisponæ in Monasterio sancti Emmerani repositum , ut legere est apud Aventinum in *Chron. Lib. 4.* Qui tamen perhibet , quod tacente præ stupore Gallia , factum sit Anno Christi 1052. & quomodo sanctus Leo IX. Rom. Pontifex , Ratisponæ agens , rogatu Abbatis Iultraverit S. Dionysii sacra Lipsaria , & hujus factæ translationis veritatem Pontificis diplomate confirmaverit , ac desuper ad Regem Galliarum , & regni que universi Prælatos rescriptum direxit.

verit. Has literas rem omnem, efficere Luce clariorem, notat Kranzius in *Metrop. Lib. 3. cap. 8.* ubi observat quod ejus Bullæ copia extet in Annalibus Ecclesiæ Mindensis, quæ non ita pridem S. Dionysium in patronum elegerat, postquam ejusdem reliquæ Ratisbonam fuissent translata: de qua translatione prolixè agit Andreas Ratisbonensis. Eadem confirmatur ex Arnulphi Imp. Epitaphio, quod in præfato S. Emmerani monasterio reservatur: Et inter alia habet.

*Ad nostram cineres Dionysii transtulit urbem,  
Finsibus è Gallis, quos pia furta tulit.*

Visitur etiam adhuc ibidem Lapis cum hac inscriptione. *Dionysius Areopagita hic requiescit, sub Arnulpho Imperatore, & Ottonne Rege, sub Ebulone Abbate S. Dionysii Gilsalberius furatus est quinto nonas Julii. Furtivo sublatus huc venit pridie nonas Decembris tempore Totonis Episcopi.* Hoc autem Gallis passim, ut fabulam & commentum Alemanicum, oppidè ridendum, magis, quàm tefellendum ducunt. Neque tamen risu aut nisu impetrabunt, ut tanquam res indubitata habeatur, quod corpus S. Dionysii Areopagite in loco determinato reservatum possideant. Quidquid enim prætendant in Concilio Rhemenfi, jussu Henrici I. Regis celebrato, quando idem Leo IX. in Gallia morabatur, decisum fuisse, corpus illud in monasterio sancti Dionysii adhuc reconditum manere; nihilominus inter hos monachos & Canonicos Ecclesiæ Parisiensis magna diu viguit contentio, quis eorum corpus Dionysii Areopagite possideret. Extat quidem Parliamenti, ut vocant, Parisiensis arrestum, apud Advocatum Pasquierum in *Disquisit. Gallia.* quo decernitur, quod præfati monachi gaudeant hujus thesauri possessione: quodque corpus illud in Ecclesia Collegiali sit sancti Dionysii Corinthiorum Episcopi. Verùm

plures de competentia judicis dubitant, plurimi huic decisioni deferre recusant. Certè sæculo decimo tercio, vivente Innocentio III. Pontifice Maximo, non idem erat omnium sensus de loco, ubi repositum esset corpus sancti Dionysii Areopagite; ipse perhibet in Epistola ad Abbatem & Conventum Parisiensem anno decimo octavo sui Pontificatus exarata, quam reppererunt Patres Henschenius & Pappebrochius in Codice Bibliothecæ S. Victoris, & tomo primo Aprilis sub die octavo illius mensis evulgârunt. Sic autem in eadem habetur. *Verum gloriosus martyr & Pontifex Dionysius cujus venerabile corpus in vestra requiescit Ecclesia, si ille censendus, qui Areopagita vocatur, ab Apostolo Paulo conversus, diverse sunt sententia diversorum. Quidam namque fatentur Dionysium Areopagitam in Græcia fuisse mortuum & sepultum; aliumque Dionysium existisse, qui fidei Christi Francorum populus predicavit. Alii vero asserunt illum post mortem B. Petri venisse Romam, & à S. Clemente Papa in Galliam destinatum; aliumque fuisse, qui mortuus est in Græcia & sepultus. Utrumque tamen egregium in opere & sermone præclarum. Nos neutri volentes præjudicare sententia; sed vestrum cupientes monasterium honorare, sacrum Beati Dionysii pignus, quod bona memoria Petrus S. Marcelli Cardinalis de Græcia tulit ad Urbem, vobis devotè dirigimus, ut cum utriusque reliquias habueritis: nulla de cætero remaneat dubitatio, quin sacra Beati Dionysii Areopagite Reliquia apud monasterium vestrum habeantur. Vos igitur eas reverenter suscipite. &c. &c.* Sic caduceum adhibere placuit Pontifici: an satis feliciter ambigent multi: quia occasione Bullæ hujus alia, atque alia de corpore S. Dionysii possent moveri dubia: quæ discutienda relinquuntur eruditibus. Quivis interea abundet in suo sensu. Quod si supremus sacrorum arbiter non valuerit, aut non voluerit in præjudicium alterutrius partis quidquam hic decernere; Et si

non sufficere vitæ sint Pontificis decisio, Concilii censura, aut eruditorum demonstrationes, ut hinc certum quid eruatur; non erit privati tantam componere litem. Juvat nihilominus percipere, quæ ad argumenta Hilduinistarum adversarii reponunt seu respondere possent.

Ad Primum Respondetur. Veteres Scriptores, accurati etiam & diligentes planè ignoraverunt historiam Visbii, cujus ne quidem nomen iis innotuit. Illius Eusebius non meminit in *Lib. de Script.* Ecclesiast. aut in historia Ecclesiastica: qui tamen ea, quæ de Dionysio Areopagita habere potuit, ex Dionysio, Corinth. Episcopo, non uno tantum loco recenset. Liber repertus ab Hilduino, & huic Visbio perperam adjudicatus, omninò est suspectus; vel ex eo, quod inventorem sortitus est, qui hæcenus inaudita ex proprio penu depromere, credulisque obtrudere voluit, quæ nullibi reperiri probè callebat. Quæ igitur præterditur vis in Visbio, hærebit in bivio. Quodsi hujusmodi apocrypha extiterint, qualia se vidisse Ludovicus Imperator profiteretur: cujus generis Hincmarus descripsisse fertur; jam Hilduinus à tanto, licet non à toto eximitur, quod passim de illo scribitur, quasi hujus opinionis, De Dionysii Areopagitæ missione in Galliam sit Author: cujus nihilo secius fuit promotor præcipuus.

Quicumque verò ex modernis hoc opinamentum subistere negant, dum argumenta in contrarium stringentia proferunt: nequaquam temeritatis notam incurrunt: neque Abailardum (qualiscunque is demum fuerit) primum ducem, sed multò antiquiores, secum sentientes, habent. Euerit aliquando Abailardus deprehensus, convictusque, quod pro luce tenebras proposuerit: atque ideo à S. Bernardo egregiè depexus: sed hoc habet locum in materia fidei & doctrina Scholastica. Non est autem existimandum veriloquium & eruditionem hære-

ses esse; quasi verò illa, quæ à viris doctis sed heterodoxis, aut de hæresi suspectis, observata in rebus gestis, omnia falsa sint. Negat quidem spectatissimus Bailus Proprietarius Parisiensis *tom. 2. Concil. Gallic.* illos audiendos, qui contra traditionem omnium sæculorum, & contra torrentem nituntur, templumque Dei obnubelare conantur: in eo, quod opinionem suæ Metropli faventem oppugnent: sed in hoc nimis est, similisque factus iis, qui animam ita obfirmant, ut videntes non videant, ne audientes intelligant; quando adversa sua persuasione percipere dedignantur: insistentes, ne exinde vacillandi suboriantur periculum. Utiq; vir ille iis accensendus est de quibus scribit Sirmondus in *Con. Gallic. not. ad Epist. Ludovici.* Mirum esse reperit quosdam, qui in tanta luce nihil viderent. Liceat hinc cum Nasone stentorea voce exorare. 6. Metam.

*Prò Superi! quantum mortalia pectora  
ca  
Noctis habent?*

Ad Secundum Respondetur. Eusebius nullibi quidquam profert, unde vel tenuiter colligi possit Dionysium Areopagitam in Gallias profectum. Scripta Aristarchi (si is fuerit concaptivus Pauli Apostoli, cuius meminit ad *Coloss. 4.* sive alius quispiam) honorat respublica literaria: tamque hunc quam Visbium ab Hilduino fuisse confictum, vult Joannes Launoy in *Judic. de Arcopag.* Flavius Dexter à cunctis Criticis modernis reputatur Suppositivus. Profectò eide adfecta monumenta: à quibusdam reperta ut ajunt ex obscuris latebris producta, nihil aliud æris habentur, quemadmodum in sequenti controversia ostendetur. Imbecillitas admodum est suffragium Methodii, seu Metrodori, qui Roma Constantinopolim directus ex Hilduini scriptis compilavit Dionysii

si historiam, ut est apud Baronium in *Annal. ad annum Christi 834.* sed neque Michaelis Syncelli aut Singelli, & Simeonis Metaphrastis (licet iis Miletus Sanctitatis aut beatitudinis, alii Martyris titulum apponant) non eo usque premit autoritas, quin, salvo eorum respectu, aliud hac in questione sentire liceat, quam ipsi senserunt. Fuerunt hi triumviri Hilduino coetanei, quos indefessum Religionis pietatisque studium, ac vitæ integritas potius commendat, quam veterum gestorum absque testificatione requisita, inconsiderata conscriptio gloriosos effecit. Præsentia eminentia super excellens, undecunque tandem comparata, cumulataque in his viris efficere nequit, ut, quod fictum est, veritas sit, & quod perinde ac verum ab iis falsum assertum fiat. Rejiciendum pœnitus, quod, contrarium historicæ veritati, à quibuscunq; oblarum firmatumq; ut verum fuit. Et quid miri si Scriptores mediæ ætatis fuerint; decepti in iis, quæ primo aut secundo sæculo gesta ferebantur, quandoquidem in his, quæ ad rerum gestarum veritatem spectant, quàm frequenter accidat falli etiam prudentissimos, non in antiquis duntaxat: sed & in his, quæ facta dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt, & quo vivunt tempore, ut sagaciter Annalistarum Princeps observat *ad annum Christi 604.*

Ad Tertium Respondetur. Utiq; Breviario & Martyrologio, quibus Ecclesia Catholica in publicis utitur officiis, sua præcæteris debetur veneratio; sed non credunt, etiam rectè credentes, quod iis inserta, sint omnia usque adeo certa, ut accensenda sint iis: quæ Ecclesia credenda ut fidei articulos proponit. Martyrologium hac in parte benignum & conniventem obtinuit revisorem, quando illa, quæ nunc de Dionysio adhuc leguntur, jure possessionis, aut titulo proscriptionis, intacta remanserunt: quæ fors aliis quibusdam æquè incertis, licet vetustioribus fortè, non obtigit. Miratur Rosyvei-

cus *in cit. Epist.* quod ad 3. Octob. ea, quæ in Romana editione Bellini legebantur, postea sint in recentiori Martyrologio ommissa; censetque, ut conformitas servetur inter vetus Martyrologium Romanum tempore Gregorii M. usitatum, Romanum Bellini, ante 100. annos exaratum, Ufuardi, Adonis, Notkeri delendum esse in textu Baronii ad nonam Octobris *Areopagita*, itemque à B. Clemente, quandoquidem hæc à posterioribus inserta sint. Poterit forsan hæc cordati scriptoris Epicrisi iis, qui pietati magis, quam veritati student, stomachum ciere. Sed sua sit, esseque debet Ecclesiæ Romanæ autoritas salva: quæ nunc, non item olim, ut Sollerius *ad 3. Octob.* observat, in Libro Missali insinuat, quod in Breviario & Martyrologio explicitè refert. Et licet hæc adhuc emendari possint correctæ, cum summis Pontificibus videbitur, quemadmodum alibi loquitur Natalis Alexander, dum pro contraria sua opinione allegarentur, tam diu tamen, propter suam præcæteris fastis excellentiam, merentur venerationem, quoad usque irrefragabili testimonio falsitatis convicta, summa interveniente potestate, corrigantur, vel expurgentur. Quando tamen eruditissimo Sirleto S. R. E. Cardinali, & Bibliothecæ Vaticanæ Profecto, suisque Collegis, in recognitione Missalis & Breviarii Romani à Sancto Pio V. illis commissæ, visum fuerat sic recudi, nequaquam interdictum fuit, post illam editionem, adferre in contrarium, quæ obstare videbantur. Equidem cum Ecclesia Catholica sentit, qui Dionysium Areopagitam in Gallia fuisse non credit. Quod si Baronio fata indulissent, ad editionem Martyrologii Romani, in sua perfectione consummandi, Colophonem addere, quædam sanè everrisset, quædam inferuisset. Quantum in præsentiarum, miratur etiam Sollerius illud *Areopagita 3. Octob.* fuisse omissum ab eodem Cardinali. Ibidemque sic scribit. *Textus fontem designavimus,*

*enimque adeo certum, ut eruditorum nemo Hilduini opinamenta tueri audeat, tam aperte ab Adone & ejus Synchrono rejecta.*

Quæ autem in captivationem intellectus à mangonizante Hincmaro superius tam plausibiliter adducuntur, ut ad Græcam testificationem, sicut Sanctæ Sedis Romanæ attestacionem, & Gallicanæ Ecclesiæ contestacionem Dionysius credatur Episcopus Parisiensis, pariterque Areopagita, valde exigui ponderis esse videntur. Quia, ut observat Launoyus, testificatio Græca ad originem recensita, sistit in Methodio: Romanæ Sedis attestatio, in Anastasio Bibliothecario Pontificio: & Gallicana contestatio in Hilduino. Sed ita sistit, ut Græca testificatio, & Romanæ Sedis attestatio ab Hilduini unius fide dependeat. Cùm autem Hilduini fundamenta genuina non sint: merito facile assentitur, Schelestrate, *Hilduini scriptis alios in errorem inductos, non modo Methodium, Syncellum, & Metaphrastem, Græcos: sed & Anastasium, Hincmarum Remensem, quinimo Eneam ipsum Parisensem &c.* Imposuerit Hilduinus piæ credulitati suorum. Certè tantam fidem non invenit in Gallia hodiernum, ubi viri præstantissimi, & in antiquitate Ecclesiastica exculatissimi Scriptores potuissent sibi titulo possessionis vindicare magnum Dionysium Areopagitam ad instar præciosæ margaritæ; quique ardentius in gentis suæ gloriam, quam ulla natio, quæ sub cælo est, ferri solent, posthabito in patriam affectu, solius veritatis amore addacti & compulsi, pernegant illud, quod ante plura sæcula fuit à majoribus traditum, creditum & à suis popularibus communiter receptum. Adverterant perspicacissimi historiographi illi metachronismum in Dionysii historia: sic, ut necesse sit martyrologia illa, quæ Sancti mortem ad tempora Adriani Imp. designant, esse mendosa, aut acta Visbii prorsus rejicienda, quæ sub Domitiano illum passum referunt. Id si verum, jam actum est

de Scriptis Areopagiticis, in quibus fit mentio Epistolæ S. Ignatii, quam is non nisi post obitum Domitiani scripsit.

Quærat nunc Natalis Alexander. *Nunquid Sirmondum & Launoyum liberanda veritas expellavit?* Imo verò viros expectabat animosos; quorum conatu liberum sortiretur ærem. Sic agitanda erat, ut in lucem splendesceret: atque, ut sciret Tullius, *aliquando adhibenda vis veritati, ut eruatur.* Hoc enim jam superest, ut æquo intuitu, alienus partium studio, oblerver Lector pondera, quibus quæque est trutinata sententia, indeque, quæ prævaleat facile deprehendet. Mirabitur interim, remanente re incerta, monachos Gallos pariter & Germanos, quod certæ relatione habetur, reliquias apud se depositas, quas Dionysii Areopagitæ solidas utrimque volunt, publico cultu venerari, dum huiusmodi translationis earum quorundam annis quatuor Decembris solemniter celebrant. Illi non Junii earundem inventarum festum petunt; quando scilicet Henricus I. Rex Galliarum in præsentia multorum Prælatorum aperit tumbâ corpus S. Dionysii integrum reperisset, excepto brachio, quod Stephanus III. P. M. Romam secum tulerat. Libet hic repetere id, quod olim dixit Themistius

*Nunc varietate opinionum, & ad hunc diem, altum ætatumque est studium religionis, & à posteritate ad sempiternum tempus studiosè retinebitur.*

